A. D. O. M. G.

QVÆSTIO PHILOSOPHICA EX VNIVERSO ARISTOTELIS ORGANO,

Ad mentem Diui Thomæ Doctoris Angelici DEPROMPTA.

ET

PER. V.D. IOANNEM ZAWADZKI.
Artium liberalium & Philosophiæ in Alma Vniuersitate Crac: Baccalaureum, Luci publicæ,

In Perauguſto DD. Theologorum Lectorio EXHIBITA.

PRÆSIDENTE DISPVTATIONI
E. D. M. BASILIO OLSZYNSKI,
COLLEGA MINORE.
Curſus Philoſophici, & Linguæ Græcæ Ordinario Profeſſore.

alius Martinus Oslinski

Permiſſu Magnifici Dńi RECTORIS,

Anno Dńi 1673. *Menſe Ianuario, die* 21. *Horâ* 2. *pomeridiana.*

CRACOVIÆ, Ex Officina SCHEDELIANA, S. R. M. Typogr:



Regia Sceptra vides nexu sociata perenni,
Colligat hæc forti CANTIVS *auxilio.*

BEATISSIMO PATRIARCHÆ SERVO DEI. IOANNI CANTIO, STVDIORVM ACADEMICORVM MVSAGETÆ,

PVSILLVM PHILOSOPHICÆ LVCVBRATIONIS ANATHEMA.

D. D. D.

AD quem veró æquiùs, quám ad TE, Beatissime Pater, hæ laboris

laboris Philosophici primitiæ, hi obscuri ingenij conatus pertinerent Tv communis studiorum nostrorum præses es, sub quo feliciùs conatus nostri, quàm sub fabulosi Apollinis præsidio maturescunt. Id actum à Diuina benignitate, cum Te florentissimo huic Archylicæo, Patronum prouidit constituitq; singularem, vt Te semper inspiceremus, Te semper in oculis, in pectore circumferremus, cuius ad exemplum mores studiaq; nostra sese conformarent Iunxisti amabili consortio pietatem & literas, eruditionem & virtutem, subtilitatem & simplicitatem, cognitionem & candorem, & coram orbe vniuerso, innocentiam Tvam, patientiam, constantiam, aliasque cælestes virtutes, tot editis miraculis comprobâsti. Verè datus non vniuersitati tantùm nostræ in decus & gloriam, sed toti etiam Polonæ genti in lucem & lætitiam. Se quisque præsidio Tvo. gaudet euasisse pericula, venientem exclusisse calamitatem, stitisse irruentium malorum agmina, & omnes impetus aduersæ fortunæ retudisse. Se quisque lætatur efficaci succursu Tvo meliores successus in-

ſus inueniſſe, omnibus ſuffeciſſe difficultatibus, maioreque felicitate circumfuſum. Itaque neque mihi diu circumſpiciendum erat, cuius nominis fulgorem obſcuritati opellæ meæ aduocarem, Satis eam illuſtrem ſperaui fore, ſi eius fronti Sanctiſsimum TVVM Nomen præfulgeret. Satis tutam, ſi TVIS eximijs meritis ſacraretur, quæ iam nemo ſine ſacro quodam horrore reſpicit atque intuetur. Suſcipe eam ô dulce decus & præſidium, commune noſtrum, &

- - - Sicut Parnaſſia Laurus

Parua ſub ingenti Matri ſe ſubijcit vmbra.

Sic TV eam ſub vmbra Nominis TVI deliteſcentem fac auſpicatò adoleſcere. Quidquid hic mihi fauſti, quidquid proſperi orietur, totum id TIBI debiturus ſum, beneficijque in me collati magnitudinem non admiratione tantùm grandi, ſed etiam debita veneratione & pio deuotoque cultu conteſtabor.

Deuotiſſimus & Humillimus
Cliens
IOANNES ZAWADZKI,
Artium & Philoſophiæ Baccalaureus.

QVÆ-

QVÆSTIO PHILOSOPHICA,

VTrum Logica Artificialis, ad alias ſcientias in eſſe perfecto acquirẽdas, ſimpliciter neceſſaria, in Docentem, & Vtentẽ Diuiſa; habens pro Obiecto formali Ens Rationis, à ſolo intellectu humano producibile, & non niſi per alienam ſpeciem cognoſcibile, quoad omnes ſuas partes accepta; tum in quibus, aut de vniuerſalibus in Communi, & in particulari; aut ante prædicamentis, Prædicamentis & poſtprædicamentis determinatur: tum de propoſitionum natura, partibus ac proprietatibus, modiſq; ſciendi, doctrina inſtituitur: tum deniq; in quibus de Syllogiſmo tam formali, quam materiali, illiuſq; ſpeciebus, nimirum Demonſtratiuo cum ſuo effectu hoc eſt Scientia; Topico, & Sophiſtico, explicatur: ſit Scientia ſpecie vna nec ne?

CON.

CONCLVSIO I.

LOgica Artificialis de facto datur, quæ est Habitus intellectûs quâ instructus prompte & perfecte ratiocinatûr; ad omnes Scientias speculatiuas, in esse perfecto acquirendas, ex suppositione finis simpliciter necessaria.

COROLLARIA.

I. *Ad scientias verò in esse imperfecto acquirendas, non est necessaria simpliciter; sed tantum secundum quid, & quoad melius esse.*

II. *Ordine doctrinæ Logica Artificialis est prima omnium acquisitione.*

III. *Licet prima Philosophia (id est Metaphÿsica) dirigat intellectum in alijs scientijs directione imperante; tamen Logica est necessaria ad illum dirigendum in scientijs omnibus directione disponente, quod ei per se & non accidentaliter competit.*

JV. *Hinc Naturalis propensio, & procliuitas in hominibus ad omnes scientias ediscendas datur.*

V. *Verumtamen maiori, & peculiari quadam inclinatione feruntur in Logicam ediscendam, quam in alias scientias.*

CONCLVSIO II.

PRæter cæteras Logicæ Diuisiones, pro diuerso respectu assignabiles, hæc est optima, quâ diuiditur in Docentem & Vtentem.

COROLLARIA.

I. *Hæc diuisio Logicæ est vnius habitus, secundum speciem in diuersos actus, ordine quodam ab ipso procedentes.*

II. *Competitq́; Logicæ tam pro tota scientia, quam pro parte aliqua sumptæ.*

JII. *Et ideo Logica Vtens sumpta pro habitu reuocante præcepta ad vsum, non differt à Docente realiter, sed solùm ratione ratiocinata.*

JV. *Sumpta verò Vtens pro instrumentis confectis differt realiter à Docente.*

V. *Logica Vtens vt vtens, non est proprie Ars, sed per quandam similitudinē artis liberalis obtinet nomen.*

CONCLVSIO. III.

LOgica Docens est vere, & proprie scientia, illaq; pure speculatiua.

COROLLARIA.

I. *Etiam Logica Vtens entitatiue & realiter sumpta, est Scientia, non tamen formaliter.*

II. *Logica Docens non est Ars; neq; Instrumentum; neq; facultas proprie, sed solum improprie.*

III. *Quatenus verò disponit intellectum ad eius functiones recte obeundas Logica docens lato modo potest dici Ars; aut facultas.*

IV. *Logica Docēs non est simul scientia speculatiua, & practica.*

V. *Falsa est opinio illorum, qui docent Logicam, neq; esse speculatiuam neq; practicam; sed solum organicam.*

CONCLVSIO. IV.

OBiectum Formale & adæquatum Logicæ est Ens rationis positiuum, vt consequitur cognitionem intellectus nostri.

COROLLARIA.

I. *Ens Rationis latissime sumptum, prout se extendit ad priuationes, negationes: & veras fictiones, tum & ad Entia Rhetorica, Grāmatica, non est obiectum Logicæ adæquatum & formale.*

II. *Neq; etiam vt restrictum, ad Syllogismum, vel argumentationem.*

III. *Quamuis Demonstratio sit Obiectum principale Logicæ; tamen non totale; sed partiale prout & Syllogismus.*

IV. *Res siue sumantur absolute, siue vt subsunt secundis intentionibus: similiter voces; à ratione Obiecti Logicæ excluduntur.*

V. *Operationes intellectus vt dirigibiles per habitum Logicæ, solum sunt Obiectum materiale eiusdem.*

CONCLVSIO. V.

ENs Rationis Logicum est possibile, immo de facto datur in rerum natura.

COROLLARIA.

I. *Ens Rationis est illud, quod consequitur rem, & tantum habet esse*

esse Obiectiue in intellectu: Vnde id, quod est subiectiue in intellectu (vt scientiæ, Artes, habitus) non est Ens rationis.

II. *Ens Rationis habet veram Essentiam & existentiam, non realem, sed rationis: Essentia eius desumitur, ex quadam potentiali & habituali relatione ad intellectum: Existentia verò ex relatione secundum actum ad intellectum.*

III. *Essentia Entis rationis non consistit in aliqua denominatione extrinseca præcise, sed in esse diminuto ficto, resultante ex obiecto cognito,*

IV. *Licet fingi necessario conuenit Enti Rationis tamen non est essentiale ei; sed accidentarium.*

V. *Actiones intellectus & verbum mentis; Similiter & aliquid conceptum vt existens tunc, dum non existit, possibile tamen alias existere à parte rei (vt rosa hyeme, aut Antichristus) Ens rationis dici non potest.*

CONCLVSIO. VI.

A Solo intellectu humano Ens rationis formaliter sumptum est producibile.

COROLLARIA.

I. *Hoc Ens rationis fit per actum intellectus comparatiuum, seu collatiuum simplicem.*

II. *Potest autem fieri per quamlibet intellectus nostri operationē.*

III. *Ideo nec ab intellectu Diuino, nec Angelico (licet cognoscatur) fabricari potest.*

IV. *Tam voluntas quam sensus interni, & externi Ens rationis formáre non possunt.*

V. *Licet phantasia, aliiq; sensus interni Ens rationis non possunt formare formaliter: bene tamen materialiter.*

CONCLVSIO VII.

ENs Rationis Logicum est cognoscibile.

COROLLARIA.

I. *Tamen non habet propriam speciem intelligibilem impressam, per quam cognoscatur.*

II. *Et ideo cognoſcitur per ſpeciem impreßam alienam ſcilicet Entis realis.*

III. *Non tamen propriâ ſpecie expreſſâ carere dicitur per quam gnoſcatur.*

IV. *Sicut negationes quæ ſunt etiam Entia rationis, cognoſcuntur per ſpeciem impreßam affirmationis: ita priuationes per ſpecies impreſſas formarum ſeu ſuorum habituum.*

V. *Tandem Relationes rationis, quæ ſunt Entia poſitiua cognoſcuntur per ſpeciem ſui fundamenti vel ſubiecti, quod denominant.*

CONCLVSIO VIII.

VNiuerſale materialiter ſumptum, hoc eſt natura communis, quæ ſubſternitur vniuerſalitati Logicæ, de facto datur à parte rei, in ſingularibus.

COROLLARIA.

I. *Hoc tamen Vniuerſale materialiter acceptum non datur ſeparatum à ſingularibus.*

II. *Etiam per abſolutam Dei potentiam non poteſt vniuerſale ſeparatum eſſe, ſecundum rem à ſingularibus.*

III. *Et ideo ſublatis ſingularibus, vniuerſale tollitur; tam quoad Eſſentiam poſitiue; quam quoad exiſtentiam: licet poſſit remanere vel in virtute ſuarum Cauſarum; vel in Ideis Diuinis; vel in intellectu Angelico; vel humano, ratione ſpecierum intelligibilium, in quibus repræſentantur.*

IV. *Non conſiſtit in vocibus communibus, ſeu in ſignificando, aut in conceptibus mentis, ſeu in repræſentando.*

V. *Neq; diſtinguitur ante operationem intellectus, à ſuis ſingularibus ex natura rei; ſed ſola ratione ratiocinata.*

CONCLVSIO IX.

NAtura communis ſecundùm ſe conſiderata nullam habet vnitatem formalem à parte rei, quæ ſit poſitiuè communis pluribus.

COROLLARIA.

I. *Habet tamen vnitatem fundamentalem, ac negatiuam; sed hæc non sufficit, ad constituendum vniuersale proprie, formaliter, & complete sumptum.*

II. *Natura ista communis, antequam existat in singularibus, nullam habet actu vnitatem.*

III. *Vniuersale non sunt multa singularia similia cognita confuse.*

IV. *Et hoc vniuersale formaliter sumptum, in esse vniuersalis constituitur per vnitatem vniuersalem; quæ fit per actum intellectus abstractiuum.*

V. *In natura tamen communi siue consideretur secundum se, vt possibilis siue vt existens in indiuiduis; præcisa tamen existentia à parte rei, non datur aptitudo positiua essendi in multis, sed aduenit illi per operationem intellectus.*

CONCLVSIO X.

VNiuersale Logicum seu formaliter sumptum non datur à parte rei in rebus; sed tantum in intellectu.

COROLLARIA.

I. *Definitur autem sic: Est vnum in multis & de multis.*

II. *Et consistit essentialiter in relatione, & in aptitudinali prædicatione de multis, non vero in actuali.*

III. *Hoc vniuersale formaliter sumptum fit per comparationem simplicem intellectus possibilis.*

IV. *Non fit autem per abstractionem intellectus agentis aut possibilis, neq; per comparationem compositiuam.*

V. *Vniuersale Logicum, ex eo quod sit relatiuum, habet pro fundamento remoto naturas singularizatas: pro fundamento proximo ipsum vniuersale Metaphysicum.*

CONCLVSIO XI.

VNiuersale formaliter sumptum est genus vniuocum ad 5. prædicabilia denominatiue tamen.

COROLLARIA.

I. *Materialiter vero sumptum, id est pro natura communi vniuersa-*

uersa-

uersalitati substrata non est vniuocum ad illa.

JI. *Genus immediatum prædicabiliũ est prædicabile essentialiter, & accidentaliter; vniuersale vero remotum; & est genus subalternum.*

JII. *Vniuersalia Logica seu prædicabilia tantum sunt 5. nec plura pauciora.*

IV. *Quinq; prædicabilia Logica sunt species infimæ vniuersalis Logici, & inter se distinctæ.*

V. *Vnde à ratione prædicabilium æquiuoca, Analoga, naturæ reales, Ens, definitio, indiuiduum vagum, excluduntur.*

CONCLVSIO XJI.

PRædicabilitas de multis non est Essentia vniuersalis Logici.

COROLLARIA.

I. *Est itaq; propria passio illius, quæ comparatur ad illud, tanquam ad proprium subiectum.*

II. *Nomina primæ intentionis possunt de se ipsis verè prædicari.*

III. *Tam in prædicatis generalibus & vniuersalibus, quàm in Deo glorioso, primæ intentionis nomina abstracta, possunt prædicari de concretis; & concreta de abstractis; licet concretum non potest dici ratio abstracti.*

JV. *Jn creatis verò, & particularibus abstracta primæ intentionis de concretis, & concreta de abstractis non possunt prædicari.*

V. *Jntentiones secundæ in concreto prædicantur de primis in concreto: non vero eædem intentiones secundæ in abstracto possunt prædicari de primis in concreto.*

CONCLVSIO XIII.

GEnus quod inter prædicabilia primum obtinet locum, rectè à Porphyrio definitur: Esse id quod prædicatur de pluribus speciè differentibus in eo quod quid est.

COROLLARIA.

I. *Hæc Definitio non est Essentialis, sed scriptiua.*

JJ. *Potest tamen reuocari ad Essentialem tali modo: Genus est vniuersale respiciens plura speciè distincta in Quid.*

III. *Jn*

III. *In hac definitione pro genere ponitur subiectum, seu natura communis quæ denotatur per illam particulam Quod. Prædicari de pluribus specie in quid: loco differentiæ.*

IV. *In Definitione generis prædicabile non potest obtinere locum generis.*

V. *Genus in abstracto seu Genereitas est vniuersalitas naturæ determinabilis siue perfectibilis.*

CONCLVSIO XIV.

DEfinitum formale, & quidditatiuum in definitione generis, est intentio secunda, quatenus connotat ipsam naturã communem, in qua talis est intentio.

COROLLARIA.

I. *Non verò secunda intentio generis præcisa, & secundùm se considerata nulla habita ratione naturæ cui substernitur.*

II. *Neq; totum aggregatũ, ex natura reali, & secũda intentione.*

III. *Neq; Subiectum seu natura realis substrata, prout substat secundæ intentioni generis.*

IV. *In substantijs corporeis genus sumitur à materia; differentia à Forma; iam verò in substantijs incorporeis à tota essentia illorũ.*

V. *In accidentibus abstractis genus & differentia sumuntur à natura specifica.*

CONCLVSIO XV.

GEnus non prædicatur de speciebus vt pars; sed vt totum potentiale.

COROLLARIA.

I. *Tamen non continetur in definitione speciei vt totũ, sed vt pars.*

II. *Primum & immediatum correlatiuum generis, de quo prædicatur est species: non tamen adæquatum & totale, nisi cum indiuiduis.*

III. *Indiuidua sunt termini mediati, & secũdarij relationis genericæ; genus verò refertur ad omnes species vnica relatione.*

IV. *Quamuis in genere contineantur potentiâ, tam species, quam differentiæ, de differentijs tamen non prædicatur per se, & formaliter.*

V. *Genus Logicè acceptum vt est vniuersale ac prædicabile, necessario*

cessario requirit plures species, saltem possibiles ad sui conseruationem: Metaphysice verò sumptum potest conseruari secundum suam essentiam in vnica specie.

CONCLVSIO XVI.

SPeciei vt est secundum prædicabile logicũ tres definitiones à Porphyrio rectè sunt traditæ: 1. est id, quod subijcitur generi: 2. est id, de quo genus prædicatur. 3. Species est id quod prædicatur de pluribus numero differentibus.

COROLLARIA.

I. *Duæ priores Definitiones, competunt tam speciei infimæ, quã subalternæ: tertia verò soli speciei infimæ non vt Subijcibilis, sed vt Prædicabilis est.*

II. *Diuisio speciei in Subijcibilem & Prædicabilem, non est in diuersas passiones seu modos.*

III. *Constitutiuum intrinsecum & essentiale speciei, & respectus ad plura, solo numero differentia: & sic species in esse prædicabilis Logici formaliter & intrinsecè constituitur per prædicabilitatem.*

IV. *Species vt est subijcibilis, non est vniuersalis, formaliter; Sed solum fundamentaliter: & ideo prius à nobis concipitur species vt est vniuersalis, & prædicabilis; quam vt est subijcibilis.*

V. *Alia est habitudo generis ad species: alia speciei ad indiuidua.*

CONCLVSIO XVII.

SPecies Logice considerata vt est prædicabilis, non potest in vnico indiuiduo conseruari.

COROLLARIA.

I. *Metaphysice verò accepta vt dicit essentiam formaliter completam potest conseruari.*

II. *Etiam natura specifica, quæ secundum se habet vnicum indiuiduum, potest concipi vt vniuersalis, & vt species prædicabilis, ex modo nostro concipiendi.*

III. *Natura specifica Angeli* v g. *Gabrielis &c. secundum se non est vniuersalis, sed à nobis poterit intelligi sine singularitate pro hoc statu.*

IV. *Fun-*

IV. *Fundamentum proximum vniuersalitatis in natura Angelica est status quo concipitur à nobis, ad modum rei corporeæ abstractæ à singularitate.*

V. *Remotum verò est distinctio quasi virtualis naturæ specificæ à singularitate eiusdem, quæ respectu illius habet se tanquam proprietas.*

CONCLVSIO XVIII.

INdiuiduum Metaphysice sumptum; est id cuius simul omnes proprietates alteri conuenire non possunt: Seu est id quod est indiuisum in se, & diuisum ab alijs.

COROLLARIA.

I. *Logice verò acceptum est id quod de vno solo, id est de seipso prædicatur.*

II. *Definitio indiuidui Metaphysice accepti tantum conuenit indiuiduo substantiali eiq; completo.*

III. *Vtraq; Definitio indiuidui tam Logicè, quàm Metaphysice accepti est descriptiua.*

IV. *Definitio indiuidui secundo intentionaliter accepti est secunda intentio in concreto.*

V. *Datur indiuiduum vagum, estq; nihil aliud quàm indiuiduum determinatum, indeterminate cognitum.*

CONCLVSIO XIX.

DIfferentia vt est tertium prædicabile rectè & adæquate est diuisa à Porphyrio; in Communem, propriam, & maxime propriam, sed Analogice.

COROLLARIA.

I. *Diuisione verò accidentali in subalternam & specialissimam: & rursus propriissima in Constitutiuam: & Diuisiuam.*

II. *Differentia in communi est id, quod prædicatur de pluribus in quale essentiale: Subalterna vero de pluribus & specie differentibus: Atoma de pluribus numero.*

III. *Differentia in esse vniuersalis non constituitur per respectũ ad propria & immediata indiuidua; sed per respectum ad indiuidua illius speciei, quam constituit.*

VI. *Non est vniuersalis formaliter per ordinem ad speciem, quam constituit: neq; per ordinem ad genus.*

V. *Differentiæ Superiores formaliter sumptæ, non includuntur formaliter in differentiis infimis etiam formaliter sumptis.*

CONCLVSIO XX.

PRoprium quarto modo sumptum conuenienter definitur: quod conuenit omni, soli, & semper.

COROLLARIA.

I. *Et hoc solum constituit quartum Prædicabile Logicum.*

II. *Tres priores Proprii modi non pertinent simpliciter ad quartum Prædicabile: sed secundum quid; & ideo non possunt constituere quartum prædicabile.*

III. *Diuisio Proprii in quatuor modos est analoga.*

IV. *Proprium in ratione Vniuersalis ac quarti Prædicabilis, constituitur per ordinem ad indiuidua suæ speciei.*

V. *Inferiora Proprii non sunt hoc, & illud proprium, sed inferiora speciei.*

CONCLVSIO XXI.

ACcidens vt est quintum Prædicabile distinctum ab alijs; tribus definitionibus a Porphyrio rectè definitur.

COROLLARIA.

I. *Maximè tamen prima Definitio hæc: quod adest & abest sine subiecti corruptione; conuenit accidenti vt est quintum Prædicabile.*

II. *Subiectum de quo Prædicabile quintum dicitur, non tantū est substantia vel accidens: vel aliquid reale; vel rationis: sed omne illud cui Prædicatum accidit quod est extra essentiam.*

III. *Accidens in esse quinti Prædicabilis constituitur & est Vniuersale, respectu subiectorum quibus contingenter inest, & quæ denominat accidentaliter: non vero, respectu inferiorum de quibus essentialiter prædicatur.*

IV. *Accidens in habitudine ad propria inferiora habet rationem speciei, vel rationem generis.*

V. *Acci-*

V. *Accidens* (*seu Accidentalitas*) *in abstracto sumptum, est essentialiter vniuersale vt Quo: Accidens in concreto vt Quod.*

CONCLVSIO XXII.

ANtepraedicamenta quae sunt quaedam praerequisita sternentia viam ad cognitionem Praedicamentorum, optime ab Aristotele assignantur tria in genere; septem in specie; scilicet tres Definitiones Æquiuocorum, vniuocorum, & Denominatiuorum: Duae regulae; & duae diuisiones.

COROLLARIA.

I. *Æquiuoca dicuntur quorum nomen est commune; ratio verò substantiae nomini accomodata diuersa: & sunt duplicia; alia à Casu; alia à Consilio.*

II. *Vniuoca illa sunt quorum nomen commune multis; & ratio substantiae omnino eadem.*

III. *Denominatiua illa dicuntur, quae à formis accidentalibus variè commutantur.*

IV. *Omnium tamen istorum definitiones sunt Logicae.*

V. *Inter aequiuoca & vniuoca dantur Analoga, quae sunt media inter illa, quorum nomen est commune; ratio verò substantiae nomini accomodata partim eadem, partim diuersa.*

CONCLVSIO XXIII.

REcte definitur Praedicamentum quod sit quidditatiua praedicabilium seu generum & specierum coordinatio.

COROLLARIA.

I. *Ista Praedicabilium coordinatio fit, vel ex his quae directe & in recta linea collocantur sub se, vt sunt genera, species & indiuidua: vel ex his quae ad latus ponuntur & indirecte, vt sunt differētiae, quae ad genera & species reducuntur, ex quorū principiis essentialibus oriūtur.*

II. *Praedicamenta Logica neq; sunt plura, neq; pauciora, quam decem.*

III. *In illis solà Entia incomplexa reponuntur directe: Entia vero complexa siue substantialia, siue accidentalia; Similiter & Entia rationis; & non entia; ac demum infinita; excluduntur à praedicamētis.*

IV. *Etiam concreta accidentaria sumpta pro composito ex substantia & Accidente remouentur ab illis.*

V. *Prædicamenta constituuntur formaliter, & distinguuntur per diuersos modos prædicandi de prima substantia proximè ac immediatè: per diuersos essendi in prima substantia remote & mediate.*

CONCLVSIO XXIV.

SVbstantia Prædicamentalis, quæ est inter cætera primũ prædicamentum in sua propria & essentiali ratione, constituitur per esse per se, seu per rationem Entis completi ac perfecti.

COROLLARIA.

I. *Constitutiuum Essentiale substantiæ, non est pura negatio essendi in alio significata per Lj esse per se: sed quid positiuum.*

II. *Nec subijci aut substare accidentibus, potest esse ratio formalis constitutiua substantiæ.*

III. *Substantia est prior Accidentibus, naturâ, tempore, & definitione.*

IV. *Accidentia licet prius cognoscantur: quam substantia cognitione sensus: non tamen cognitione intellectus: nam substantia ab intellectu per propriam speciem seu similitudinem cognoscitur.*

V. *Hinc cognitio distincta accidentium dependet ex cognitione distincta substantiæ.*

CONCLVSIO XXV.

DIuisio Substantiæ in primam & secundam, licet sit subiecti in accidentia, est tamen analoga, non proprie & in rigore, sed quodam modo.

COROLLARIA.

I. *Diuisum huius diuisionis non est Substantia secundo intentionaliter accepta, sed est ipsa natura Substantiæ Prædicamentalis, in diuersos modos substandi: scil. particulariter, & vniuersaliter, quorum vnus est realis, alter rationis.*

II. *Definitiones substantiæ primæ, & secundæ à Philosopho assignatæ sunt bonæ; sed sunt descriptiuæ.*

III. Sub-

III. *Substantia prima magis est perfectior Substantia, quàm secunda: tamen & inter secundas alia est magis & perfectior altera.*

IV. *In Prædicamento substantiæ ponuntur omnes substantiæ creatæ, completæ directè & per se (immo & Christus Domin⁹) excepto Deo, qui neq; per se, neq; reductiue ponitur in hoc Prædicamento.*

V. *Proprietates Substantiæ rectè à Philosopho assignatæ sunt.*

CONCLVSIO XXVI.

SEcundi Prædicamenti scilicet Quantitatis, quæ est accidens extensiuum Substantiæ quoad se, Ratio formalis constitutiua, est extensio partium in ordine ad se.

COROLLARIA.

I. *Et ideo mensura, & diuisibilitas, aut extensio localis aptitudinalis non est essentia quantitatis.*

II. *Neq; impenetrabilitas, rationem formalem quantitatis exprimere potest.*

III. *Mensura & diuisibilitas radicaliter accepta, possunt etiam explicare rationem formalem quantitatis.*

IV. *Quantitas non solum extensionem facit in substantia; sed etiam in seipsa: & sic effectus eius formalis duplex: vnus extensio partium Substantiæ: alter extensio partium ipsiusmet quantitatis.*

V. *Quantitas realiter distinguitur a re quanta seu à substantia, & ideo substantia spoliata omni quantitate, nullas habet partes integrantes (licet habet essentiales) neq; vllam extensionem aut diuisibilitatem, etiam entitatiuam, sed manet indiuisibilis.*

CONCLVSIO XXVIII.

DIuisio Quantitatis in Continuam & discretam est generis in suas species

COROLLARIA.

I. *Linea superficies & corpus sunt veræ species quantitatis continuæ, eæq; specie distinctæ & infimæ.*

II. *Iam verò locus, tempus, & motus, non sunt veræ species quantitatis per se; sed reductiue ad quantitatem continuam pertinent.*

III. *Spe-*

III. *Species Quantitatis discretæ sunt numerus & oratio: licet oratio quantum ad rationem extensionis, essentialiter & per se, non sit propria species illius, sed Metaphorice.*

IV. *Numerus verò est vera species illius, estq; Ens per se reale, non verò quid aggregatum ex discretis vnitatibus.*

V. *Quamuis vltima vnitas sit forma numeri quasi Physica: non est tamen vltima differentia numeri.*

CONCLVSIO XXVIII.

DEfinitio Quantitatis ab Aristotele tradita secundũ quam dicimur esse quales est bona: sed descriptiua.

COROLLARIA.

I. *Ratio formalis constitutiua Qualitatis optime explicatur per dispositionem seu modum substantiæ; qui est adiacens substantiæ determinatio.*

II. *Qualitas vt est genus generalissimum adæquate diuiditur in quatuor species, quæ non sunt infimæ, sed subalternæ.*

III. *Habitus & dispositio propriè sumpta, essentialiter differũt.*

IV. *Naturalis potentia, & impotentia: Passio & patibilis qualitas; Forma, & Figura solum accidentaliter differunt.*

V. *Proprietates Qualitatis tres, rectè ab Aristotele assignãtur.*

CONCLVSIO XXIX.

IN rebus creatis Relationes reales dantur, & illæ non solum transcendentales, sed etiam prædicamentales.

COROLLARIA.

I. *Relatio Prædicamentalis est Ens reale constituens vnum genus summum ex nouem Prædicamentis accidentium.*

II. *Relatio prædicamentalis optimè definitur, ab Aristotele per Esse Ad in plurali: Relatiua sunt quorum totum esse, est ad aliud se habere. Seu Relatio est Accidens reale, cuius totum suum esse, est ad aliud se habere vt Quo; non vt Quod.*

III. *Relatio in communi prout habitudinem ad solum terminũ dicit: diuiditur in relationem rei, & rationis: quæ quidem relatio rationis*

timis formaliter, & secundum essentiam accepta, non habet esse à parte rei; præter omnem operationem intellectus; licet fundamentaliter habeat.

IV. *Ad relationem realem Prædicamentalem requiruntur; Subiectum reale, Fundamentum reale, terminus realiter existens, & extrema realiter distincta.*

V. *Fundamenta remota relationis sunt quatuor: scilicet Substantia, Quantitas, Qualitas, vis agendi & patiendi: Proxima verò tria: nimirum vnitas & numerus, Actio & passio: Mensura & mensurabile: à quibus fundamentis tam proximo, quam remoto, distinguitur realiter relatio prædicamentalis.*

CONCLVSIO XXX.

RElationes mutuæ Prædicamentales referuntur formaliter ad terminum relatiuum; non mutuæ verò ad absolutum.

COROLLARIA.

I. *Relatio desumit suam speciem & vnitatem ex habitudine, tum ad terminum, quam ad fundamentum: numerica verò ex vnitate numerica subiecti.*

II. *Vnde multiplicatis terminis eiusdem speciei, relationes in eodem subiecto non multiplicantur.*

III. *Hinc Pater habens plures filios, eadem paternitate ad omnes refertur: Filio quoq; non correspondet duplex relatio, vna in Patre, altera in Matre; sed vna totalis completa & quasi composita ex duabus relationibus particularibus eiusdem rationis.*

IV. *Ad multiplicationem tamen terminorum specie differentium multiplicantur numero relationes.*

V. *Proprietates relationum quinq; à Philosopho assignantur.*

CONCLVSIO XXXI.

ACtio & Passio constituunt diuersa formaliter prædicamenta: illaq; sunt genera generalissima.

COROLLARIA.

I. *Tam Actio quam Passio habent suas species subalternas de quibus vniuocè prædicantur.*

II. *Actio suam specificationem desumit à potentia operatiua: Passio verò a termino per actionem producto.*

III. *Ratio formalis Actionis prædicamentalis consistit in forma, per quam potentia operatiua constituitur in actu secundo, quæ alias causalitas agentis vocatur: Formalis autem ratio Passionis consistit in forma, quâ potentia passiua fit actu recipiens.*

IV. *Actio egreditur ab agente per simplicem emanationem; quæ creata dari non potest sine subiecto cui inhæreat.*

V. *Sub genere supremo Actionis solæ actiones creatæ tam immanentes, quam transeuntes continentur: Sub genere verò Passionis illæ solum quæ præsupponunt & sequuntur actionem prædicamentalem.*

CONCLVSIO XXXII.

VLtima quatuor Prædicamenta per suas distinctas rationes formales constituunt distincta suprema genera.

COROLLARIA.

I. *Vbi prædicamentale est Accidens resultans ex circumscriptione loci, quo mediante proportionatur loco.*

II. *Quando est Accidens quo res est in tempore; dicitq; pro formali, non ipsam durationem rei extrinsecam; sed formam accidentalem relictam in rebus ex mensuratione temporis.*

III. *Ratio formalis constitutiua Situs, est dispositio partium in ordine ad locum: & competit solis corporibus quantitatiuis, distinguiturq; á Prædicamento vbi.*

IV. *Habitus qui est prædicamentum speciale, non constituitur per solam denominationem extrinsecam; sed per formam accidentalem, quæ resultat ex adiacentia corporum, & eorum quæ sunt circa corpus.*

V. *Species huius Prædicamenti desumuntur ex varietate armorum & vestium, & aliorum, quæ sunt diuersa ornamenta, tam toti corpori, quam singulis eius partibus congruentia.*

CON-

CONCLVSIO XXXIII.

POstprædicamenta quæ ſunt quædam complementa, ordinata ad cognoſcenda Prædicamenta, & res in eis contentas per aliquas proprietates ſufficienter ab Ariſtotele numerantur, 5.

COROLLARIA.

I. *Diuiſio Oppoſitionis in Relatiuam, Contrariam, Priuatiuam, Contradictoriam eſt ſufficiens, eaq́ analoga.*

II. *Oppoſitio Priuatiua eſt diſtincta, ab oppoſitione contraria, tam mediata, quam immediata.*

III. *Oppoſitio contradictoria, eſt maxima inter omnes oppoſitiones.*

JV. *Modi Prioris, ſimul, ſufficienter à Philoſopho ſunt traditi.*

V. *Hoc intelligendum eſt de ſpeciebus motus; & modis Habere.*

CONCLVSIO. XXXIV.

REcte ab Ariſtotele definitur Enunciatio; quod ſit oratio verum vel falſum ſignificans: & diuiditur adæquate in affirmantem & negantem tanquam genus in ſpecies: in Cathegoricam & Hypotheticam analogice: in vniuerſalem particularem indefinitam & ſingularem accidentaliter.

COROLLARIA.

I. *Hæc tamen Definitio Enuntiationis non eſt Eſſentialis ſed deſcriptiua.*

JJ. *Veritas eſt in ſolo intellectu componente ac diuidente formaliter, tanquam in ſubiecto.*

III. *Enuntiationis proprietates quæ ſequuntur totam ipſam Enunciationem ex comparatione vnius ad aliam ſunt tres: Oppoſitio Æquipolentia & conuerſio.*

IV. *Quæ verò ſequuntur partes Enuntiationis ſunt 5. Suppoſitio, Ampliatio, Reſtrictio, Alienatio, Appellatio.*

V. *Jn Enuntiationibus Contradictorijs ſingularibus de futuro contingenti dari determinatam veritatem aut falſitatem eſt probabile: tamen probabilius magiſq́ ſententiæ Ariſtotelicæ conformius eſt,*

in illis neutrā partem esse determinate verā, aut falsam, sed tantum indeterminate & indefinite.

CONCLVSIO XXXV.

DEfinitio & Diuisio rectè definitur: illa quod sit explicans quidditatem rei; hæc vero quod sit oratio distribuens totum in suas partes, seu explicans rem per partes.

COROLLARIA.

I. *Sicut Definitio, ita & Diuisio sunt instrumenta Logica, & modi sciendi inter se, & ab argumentatione distincti.*

II. *Definitio diuiditur in aliam Quid nominis; & aliam quid rei: Et hæc in Essentialem & descriptiuam.*

III. *Vna res vnam tantum habet definitionem essentialem: & ideo solæ species, propriè essentiali definitione definiuntur: Summa verò genera per rationes Formales notificantur.*

IV. *Substantiæ perfectiorem habent definitionem, quam accidentia.*

V. *Diuisio rectè quoq; diuiditur in Potentialem, Actualem, & Accidentalem.*

CONCLVSIO XXXVI.

AD rationem formalem discursus propriè accepti omnino pluralitas cognitionum requiritur.

COROLLARIA.

I. *Tamen non est necesse vt illi actus qui concurrunt ad essentiam discursus successiue, ab intellectu eliciantur.*

II. *Non requiritur ad eius rationem pluralitas cognitorum seu Obiectorum cum dependentia secundum prioritatem naturæ.*

III. *Sed sufficit motus potentiæ intellectiuæ; quæ cum sit imperfecta; ideo res simplices & infinitas vno conceptu adæquato non concipit, sed format de illa conceptus plures.*

IV. *Discursus essentialiter consistit in iudicio illatiuo, seu in iudicio Consequentis, simul & Consequentiæ.*

V. *Conditiones ad Discursum tres requiruntur: Prima vt intel-*

lectus

lectus intelligat hoc post hoc: Secunda vt intelligat hoc per hoc: Tertia quod diuersis actibus concipiat Antecedens, & consequens.

CONCLVSIO. XXXVII.

DIscursus rectè definitur quod sit progressus intellectus ex vna cognitione in aliam: & diuiditur vt est quoddam totum essentiale in Materiam & Formam: vt est totum integrale in Antecedens seu præmissas, & Consequens seu Conclusionem.

COROLLARIA.

I. Ratione verò formæ diuiditur: in Argumentationem & consequentiam strictè sumptam.

II. Argumentatio verò quatenus est membrum diuidens formalem discursum in communi, rectè subdiuiditur: in Conditionalem Causalem, & rationalem.

III. Argumentationis rationalis species sunt quatuor: Syllogismus, Inductio, Enthymema & exemplum.

IV. Proprie & in rigore loquendo duæ tantùm sunt species veræ argumentationis rationalis; Syllogismus & inductio.

V. Syllogismus ab inductione differt specie: Enthymema verò à Syllogismo non differt, neq; exemplum ab inductione: sed tantum vt imperfectum à perfecto intra eandem speciem.

CONCLVSIO. XXXVIII.

SYllogismi Definitio rectè ab Aristotele tradita: quod sit oratio in qua quibusdam positis aliud quidpiam diuersum ab his, quæ posita sunt necessario sequitur, eo quod hæc sunt.

COROLLARIA.

I. Syllogismus componitur ex parte Materiali proxima, scilicet propositionibus: & remota, tribus terminis: ex parte verò formali, ex debita dispositione illorum trium terminorum in certa figura & modo.

II. Ad cõstitutionẽ essentialẽ Syllogismi sufficiũt duæ propositiones.

III. Tamen & Conclusio est de Essentia Syllogismi, quatenus dicit tertiam operationem completam & perfectam.

 IV. *Assensus*

IV. *Assensus præmissarum est Causa efficiens assensus Conclusionis.*

V. *In Qualitate & Quantitate semper Conclusio sequitur debiliorem partem: immo & in alijs perfectionibus, vt in veritate euidentia, certitudine Conclusio deficit, si aliqua præmissarum deficit.*

CONCLVSIO XXXIX.

PRæter illam Syllogismi Diuisionem in Perfectum & in imperfectum recta est etiam Syllogismi, in tres figuras.

COROLLARIA.

I. *Quarta Figura quam Galenus adstruit non est admittenda.*

II. *Diuisio Syllogismi in tres figuras est generis in suas species.*

III. *Figura in communi est ordinatio trium terminorum secundum debitam subiectionem & prædicationem.*

IV. *Omnes Syllogismi reuocantur ad tres figuras.*

V. *Omnes istæ tres figuræ habent suas proprietates tam communes quam proprias.*

CONCLVSIO XL.

OMnis doctrina & omnis disciplina fit ex præexistenti cognitione.

COROLLARIA.

I. *Licet hoc axioma posset verificari de qualibet cognitione intellectiua; tamen magis de sola cognitione intellectiua discursiua, intelligi debet.*

II. *Cognitio Angelica, & primorum principiorum non fit ex præexistenti cognitione.*

III. *Ad omnem acquirendam doctrinam, præcognitiones necessario prærequisitæ sunt tantum duæ; An sit, & Quid sit: tria verò præcognita: subiectum, Passio, & Principium.*

IV. *De subiecto denominationis necesse est præcognosci An sit, & Quid sit: de Passione sufficit cognoscere quid nominis.*

V. *De Principiis verò præcognoscendum est An sint nimirum vera.*

CON-

CONCLVSIO XLI.

DEfinitiones, Demonstrationis ab Aristotele allatæ sunt bonæ: Prima Demonstratio est Syllogismus efficiens scire: Secunda est Syllogismus procedens ex veris primis immediatis, notioribus prioribus causisq; Conclusionis.

COROLLARIA.

I. *Definitio Demonstrationis prima est tantum descriptiua. Secunda verò est Eßentialis; & ambæ competunt Demonstrationi propter Quid, non verò Quia.*

II. *Præmißæ Demonstrationis debent constare prædicató de omni, per se, & vniuersali.*

III. *Diuisio Demonstrationis propter Quid, & Quia, est adæquata, eaq; analoga.*

IV. *Demonstratio Propter Quid, sola est quæ generat scientiæ habitum perfectum: Demonstratio verò Quia imperfectum, & in esse dispositionis.*

V. *Demonstrationis potißimæ propter Quid, medium est Definitio subiecti.*

CONCLVSIO XLII.

SSientia rectè definita est, quod sit cognitio rei per Causam, per quam res est, & quod illius causa est, & non contingit aliter se habere; estque vna simplex Qualitas.

COROLLARIA.

I. *Hæc definitio non competit Scientiæ Quia, sed propter Quid.*

II. *Certitudo intrinseca est de Eßentia scientiæ perfectæ: extrinseca vero non sufficit.*

III. *Euidentia quoq; est de Eßentia omnis scientiæ naturalis: veritas autem scientiæ conuenit, tanquam Paßio consequens Eßentiam illius.*

IV. *Scientiarum vnitas & distinctio generica non desumitur ab obiecto materiali aut formali in eße rei seu à ratione formali Quæ; sed tantum à ratione Formali sub Qua.*

V. *Vnitas*

V. *Vnitas autem & distinctio specifica desumitur ex vnitate & distinctione specifica principiorum Formalium; intra genus scibilis, seu intra eandem abstractionem.*

CONCLVSIO XLIII.

SCientiæ Diuisio ratione dependentiæ in subalternantem & subalternatam est recta.

COROLLARIA.

I. *Propria subalternatio solum inuenitur tunc, quando obiectum scientiæ vnius continetur sub obiecto alterius, cum additione differentiæ accidentalis contrahentis ipsum ad materiam determinatam.*

II. *Scientia cuius obiectum essentialiter continetur sub obiecto alterius non est scientia proprie subalternata, sed tantum secundum Quid.*

JII. *Scientia subalternata sine subalternante acquisita, est verè & proprie scientia; licet non habeat perfectionem, & statum scientiæ id est euidentiam actualem.*

IV *Scientia & opinio de eodem obiecto, simul in eodem intellectu, non solum naturaliter, sed neq; supernaturaliter esse potest.*

V. *Neq; fides & scientia de eadem re, tam secundum actus, quam secundum habitus in eodem intellectu stare possunt.*

CONCLVSIO XLIV.

DOctrina de Syllogismo Topico & Sophistico ab Aristotele congruè & sufficientèr traditur.

COROLLARIA.

I. *Obiectum illius doctrinæ est Syllogismus Topicus: Sophisticæ Sophisticus.*

II. *Syllogismus Topicus ille dicitur qui ex præmissis probabilibus conclusionem infert probabilem: Sophisticus verò ex apparentibus, quæ videntur esse veræ & non sunt, infert conclusionem apparentem.*

III. *Syllo-*

III Syllogiſmus probabilis ordinatur ad generandam opinionem.

IV. Prædicata Topica ſunt quatuor: Definitio, Genus, Proprium & Accidens.

V. Syllogiſmus Sophiſticus eſt diſtinctus à Demonſtratiuo & Topico.

CONCLVSIO XLV.

LOgica Artificialis quoad omnes ſuas partes accepta, eſt vna Scientia ſpecie atoma.

COROLLARIA.

I Hæc vnitas ſpecifica Logicæ, deſumitur ex vnitate ſpecifica rationis formalis ſub qua, & principiorum formalium.

II. Logica non eſt ſcientia conſtans ex pluribus habitibus ſpecie diuerſis iuxta diuerſitatem obiectorum materialium.

III. Multo magis dici non poteſt ſcientia per aggregationem.

VI. Si Logica conſideretur ratione ſubiecti eſt vna vnitate numerica.

V. Hinc quatenus in multis ſubiectis numero differentibus reperitur dicitur multiplex.

Soli DEO, Honor & Gloria.

Sub Felicissimis Auspicijs

Magnifici, Perillustris, & Admodum Rndi Dni.

D. SIMONIS STANISLAI MAKOWSKI,

Sacræ Theologiæ Professoris,

Collegæ Maioris, Ecclesiæ Collegiatæ S. FLORIANI Canonici, S.R.M. Secretarij, Almæ Vniuersitatis Academiæ Cracouiensis.

GENERALIS RECTORIS

Vigilantissimi.